Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Reflexio

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

ex his non solū intelligimus, quis nam latam aut scrupulosam /: de qua plura sequenti capite :/ habeat conscientiam, verùm etiam dignoscimus, quis nam timoratæ ac bene formatæ sit conscientiæ, nempe qui in his aliisq3 medium tenet: Vnde si unquam alicubi vel hic maximè adaptari potest illud Poetæ: medium tenuêre beati.

Reflexio

Fundamentū et radix omnis laxitatis seu latæ conscientiæ cupiditas est ac desiderium terrenorum; hæc enim animum facilè eò impellunt, ut rationes excogitet, quibus eorum usum sibi licitum esse falsò persuadere queat. Quā obrem ut quis coercere valeat laxitatem aliô opus non est adminiculô, nisi ut refrenet cupiditatem, sic enim extinctio cupiditatis fiet extirpatio laxitatis.

Et ob hanc causam unumquemq; nostrûm seriò adhortatur s. scriptura: post concupiscentias tuas non eas Eccli 18. noli videlicet concupiscere, quod non licet habere. Dimitte transitoria, quære æterna, hæc enim satiant, illa verò cruciant, trahunt

ait Author libri de imit. Christi desideria sensualitatis ad spatiandum, sed cum hora transierit quid nisi gravitatem conscientiae et cordis dispersionem reportas. Opportune ac eleganter D. Bernardus Epist. 103. Si sapis, inquit, si habes cor, si tecum est lumen oculorum, desine ea sequi, quae et assequi miserum est: beatus, qui post illa non abiit, quae possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Haec cum Henricus Suso vir sanctissimus quondam attentâ consideratione ac seriâ mente revolveret, Deum affatus in haec excurrit verba: "Profecto
„Domine res est lamentatione
„digna tot corda sancto amori
„aptissima ... se in tantam vili-
„tatem abiicere, ac sua sponte
„perire. Credo sane, si te
„omnium interni obtutus ita
„cernerent, uti ego te intueor,
„caduceum omnem amorem eves-
„tigio in illis extinctum iri. Mi-
„rari satis nequeo Domine: li-
„cet quondam longè aliter af-
„fectus fuerim: posse animum
„cuiusquam ulla alia in re,

„quam in te vastissima abysso
„acquiescere. O bonum incom-
„prehensibile medullitusq; am-
„plectendum, quam bene agi-
„tur cum ea anima, quae te uni-
„cè amat, quantum illa ex te
„coelestem et mellifluam hau-
„rit consolationem, quanta amo-
„ris tui capit secreta blandi-
„menta? Haec ille apud Blos.
in scriniol. spirit.

Sinam mi Christiane ad haec
coelestia blandimenta inardes-
cat animus tuus, delectetq;
mentem magnitudo supernae
dulcedinis, ne te deterreat
certamen laboris; Prius nem-
pe mortifices oportet tuos inor-
dinatos affectus, coerceas cu-
piditates, refrenes laxitates,
verbô exuas conscientiam la-
tam. Unde pro viribus tibi
adlaborandum, ut omnia illa
falsa principia ac dictamina,
quae tuam dilatant conscien-
tiam, radicitus è corde tuo eval-
las, utq; per angustam por-
tam ad illas peroptatas delitias
pertingere ~~[illegible]~~ possis queas. Crede enim
aeternae veritati dicenti: quod
arcta via sit, quae ducit ad vi-
tam, et pauci sint, qui inveni-
unt eam. Math. 7.
Jam quomodo non times, quomo-
do totis artubus non contremis-

cis tu, qui per latam portam ac spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem ambulas? Ah unica tibi est anima, cuius saluti consulenda omnes adnisus tuos impendere te oportet, et tamen, quàm rara, quàm modica, quàm remissa pro eadem sunt opera tua: Vnica est, quâ perditâ omnia sunt perdita, idq; irrevocabiliter in omnem æternitatem, ita quidem, ut per eam futurus sis miserrimus, flammisq; inextinguibilibus cruciandus. Hæc cogita, hæc seria mente pervolue, sitq; anima tua in manibus tuis semper, ut vivas Deo, vivasq; æternitati.

Caput 6tum.
de
Conscientia scrupulosa

Quandoquidem conscientia scrupulosa instar horrifici spectri iis, qui in Christo Jesu pie vivere volunt in via salutis se spectabilem præbet pannicumq; terrorem incutere solet; hinc non abs re erit, si omnem impendamus operam, quatenus